

jecti, ex quo res creatæ prodiissent, facile patet, non sumi nobis hanc vocem in sensu fanatico, quando Teutonicus ille, ut appellari sivevit, Philosophus, *JAC. BÖHME Myster. Magn. oder Erklär. über das I. B. Mos. Cap. I. n. 2.* DEum per æternum nihil describit, Wenn ich betrachte, dicens, was Gott ist, so sage ich: Er ist das Eine gegen der Creatur, als ein Ewig Nichts. Hoc namque sensu si dicerentur creaturæ ex nihilo productæ, ex essentia divinâ emanassent, seu ex DEo, tanquam præexistente subjecto, ortum suum traxissent, id quod Fanatici volunt, sed hic paulò post refutabitur.

§. X.

Pro asserendâ mundi creatione ex nihilo solet ab aliquibus quidem provocari ad ipsum verbum נָרָא *Gen. I. I.* quod hoc ipsum innuat, aliquid ex nihilo producere; ast quoniam verbum illud etiam de productione rerum ex materia quadam præjacente usurpatum invenitur, ut de creatione hominis, *Gen. I. 28.* non videtur id satis evidenter creationem mundi ex nihilo evincere: quapropter & ipsum non magnopere urgebimus. Quanquam negligenda non sit observatio, quod verbum נָרָא non solum notet creare rem ex nihilo, sed etiam rem, cui nulla res similis adhuc erat, producere. Quo ipso וַיִּבְרָא creavit ab וַיַּעַשׂ fecit, tanquam species à genere, distingvatur, notante *SEB. SCHMIDIO Annot. super Gen. I. 1.* sicque creare sit producere quidquam vel planè ex nihilo, vel ex materiâ inhabili ac indispositâ, quod utrumque infinitam potentiam agentis supernaturalis requirat. Sed ne sic quidem hoc argumentum Adversariis satisfacere videbitur, quin excipere possint, etiam *Gen. I. 1.* posteriorem illum significatum obtinere posse. Veruntamen, quando in principio, & quidem absolute tali, dicitur DEus creasse cœlum & terram, firmitus illud ac irrefragabile suppeditat argumentum, collato *Joh. I. 1. 2. 3.* Hic enim Λόγος sive Filius DEi per hoc à creaturis distingvitur, quod ipse in principio, principium autem oriebatur, cum DEus cœlum atque terram creabat, fuit apud DEum, hæc vero per ipsum, in

C 2

prin-